



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

9. Et qui dimissam duxerit, mœchatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

sed ad Seniores populi totam Ecclesiæ gubernationem transfert, ille certè evidentissimè Ecclesiam à Christo Capite diuulsi, planèq; ἀκεφαλον penitusque truncum reliquit. Rursum si vnam venerab. Eucharistiæ speciem populo subtrahendo, separatur quod Deus coniunxit, quanto peccauit enormius & sceleratius Calvinus, qui ab vtraque specie sacrum Christi corpus sacrumque sanguinem ita penitus diuulsi ac separauit, vt à pane & vino in cænaquam celebrat, tam procul separaretur corpus & sanguis Christi, quàm cælum à terra seiungitur? Illis enim ipsissimis verbis homo impius profanam suam cænam commendat; nec in sacramento, sed in cælo querere nos iubet. quod in hac sacra Cæna vel comedamus vel bibamus. Nec accipere corpus & bibere sanguinè Domini, sed audire historiã Euangelicam & credere docet. His diabolicis Caluini corruptelis meritò opponere licebit: *Quod Deus coniunxit, homo non sepatet.* Catholica vero Ecclesia vnam speciem populo porrigendo, & totum Christum illis porrigit, quem huic Sacramento Deus coniunxit; & nihil separat quod Christus coniunxit, quia in sacrificio quod Christus fecit, vtramque speciem tenet, sicut tenuit Christus. Quam rem infra suo latius loco discutietur.

Ad
Matth.
cap. 26.
ver. 27.

9. *Et qui dimissam duxerit, mœchatur.*

His Christi verbis pro secundis nuptijs post diuortium adulteræ conjugis adhuc superstitis more omnium hæreticorum hodie abutitur Calvinus, omnèsq; hætenus Scripturarum interpretes qui aliter senserunt, tam vetustissimos Patres quàm tractatores modernos

Nuptiæ
post di-
uortia
superstite
dimissa.

N au-

audacissimè erroris condemnat. Ait enim. Hoc membrum pessimè expositum fuit à multis interpretibus. Generaliter enim & confusè putarunt calibatam præcipi quoties diuortium factum fuerit. Ita si maritus adulteram reijceret, utriusque iniecta est calibatus necessitas. Quasi verò sit hæc repudij libertas tantum ab vxore secubare, quasi etiã Christus non clarè in hac causa fieri permittat quod promiscuè sibi Iudæi pro suo arbitrio vsurpare soliti erant. Fuit ergo ille nimis crassus error. Hæc ille. Duo adfert, quasi erroris, quem alijs impingit, causas duas. Prius est, quia parua aut nulla videtur repudij libertas ab vxore separari quoad thorum tantum. At Christus hoc loco non repudij libertatem dare, sed ea restringere disertè voluit. Quum enim Iudæis ex quacunque causa vxores dimittere dato repudij libello permitteretur, Christus hanc repudij libertatem ad solam fornicationis causam restringit. Et quia nõ repudij libertati hoc loco consulit Christus, sed vinculo potius coniugali, quod ex prima sua institutione & ex Dei præcepto (sicut Christus hic commemorat) indissolubile fuit, permittit quidè repudium fornicationis causa, sed ita vt firmum nihilominus valeat vinculum coniugale, ideòq; quietiam ob fornicationem dimissam duxerit, mæchari docet: videlicet quia alterius adhuc vxor est, tamen si iustam ob causam repudiata. Nõ ergo pro libertate repudij contendere hoc loco debuit Calvinus, sed pro coniugij vinculo, si ex Christi instituto & mente Euangelium exponere voluisset. Alterum quod adfert est, quia Christus in causa fornicationis id fieri permittit, quod promiscuè Iudæi ex quacunque causa faciebant. Respondeo, quoad repudium, verum id esse, sed non quoad secundas nuptias facto repudio. Christus enim (quod aduertere Calvinus cæterique hære-

Christi
instru-
tum Cal-
uinus in-
uertit.

hæretici debuerunt) legem illam Mosaicam de li-
bello repudij, tanquam perfectionis Magister, in
tribus corrigit. Primum quòd non liceat nisi ob
fornicationis causam dimittere vxorẽ, quum ibi
liceret ex quacunque causa dimittere. Secundo
quòd etiam sic dimissa coniuge, non licet alteri
nubere, quod Iudeis permissum erat. Ideo Chri-
stus præter vnius huius causæ exceptionem, addit,
*Et aliam duxerit, mæchatur; & qui dimissam duxerit, mæ-
chatur.* Illam enim vnius causæ exceptionem ad verbũ
dimittere, quod præcedit, referendã esse, etiam ipsi
hæretici agnoscunt, qui dimissionem illam &
repudium ex quacunque causa per hanc exce-
ptionem restringi pariter nobiscum fatentur.
Mæchari igitur eum qui post repudium aliam
ducit vxorem, vel qui ab alio repudia tam ducit,
generalis est Christi doctrina, quacunque tan-
dem de causa fiat repudium, sicuti apud Marcũ
manifestè legitur: *Quicumque dimiserit vxorem suam,*
& alteram duxerit, adulterium committit super eam. Item
apud Lucam. *Omnis qui dimittit vxorem suam, & al-*
teram ducit, mæchatur. Ad quæ duorum Euangeli-
starum verba ait Augustinus. *Qui ergo nos sumus vt*
dicamus, Est qui mæchatur vxore sua dimissa alteram du-
cens, & est qui hoc faciens non mæchatur, cum Euangelium
dicat omnem mæchari qui hoc facit? Proinde si quicumque
hoc fecerit vt vxore sua dimissa alteram ducat, mæchatur,
*sine dubio ibi sunt ambo, & qui præter & qui propter for-
nicationis causam dimittit vxorem.* Hæc Augustinus.
Hoc igitur secundum est in quo Christus corrigit
legem veterem de libello repudij, Mathæus au-
tem solus hanc exceptionem de causa fornica-
tionis ponit; quia apud illum solùm quæstio illa
proponitur, *de dando libello repudij ex quacunq; causa:*
ideoque ad libellum repudij referenda hæc ex-

1.

2.

Mar. 10.

Luc. 16.

De adul-
ter. con-
iug. lib. 1.
cap. 9.

ceptio est, nō ad crimen adulterij in eo qui repudiata vxore aliam ducit: vel certē si eo referre omnino quis velit, quia ambiguus videtur sermo, tunc, vt docet August. lib. citato cap. 11. *Matthæus ex parte totam intellexisse putandus est*, & illud adulterium ex vna partiali causa docuisse, quod ceteri duo Euangelistę extota causa docuerunt: id est, ex nouo matrimonio post quodcunque repudium inito. Tertium in quo veterem legem de libello repudij corrigit Christus, illud est, quod per a que liceat vxori castę virum fornicantem dimittere, quā viro casto vxorem fornicantem: quorum nisi posterius in veteri lege licebat. Hoc tertiū apertē docet Paulus, 1. Cor. 7.

Alias adhuc Calvinus rationes adfert, quas expendere oportet. *Nam quum adulterij damnat Christus qui repudiatam vxore duxerit, restringi ad illicita & friuola diuortia certum est. Ideo Paulus manere in nuptas iubet que sic dimisse fuerint, aut viuis suis reconciliari, quia scilicet vixis & discordijs non aboletur coniugium: idque ex Marco elicitur, vbi nominatim exprimitur vxor que a marito discesserit: non quod liberum fuerit vxoribus dare maritis repudij libellum, nisi quatenus in exteros mores prolapsi erant Iudæi: sed notare voluit Marcus corruptelam que tunc passim trita erat reprehendi a Domino, quod post voluntaria diuortia vtrique ad nouum coniugium transibant. Ideo adulterij nulla sit apud Paulum mentio. Hęc Calvinus. Adulterij crimen in eo qui repudiatam ab alio ducit, ad friuola diuortia a Christo restringi affirmat. Cui assertioni^a Marci & ^b Lucę verba citata manifestę contradicunt, qui aiunt in omnibus quibuscunque diuortijs mœchari eum qui ab alio dimissam duxerit. Deinde si ad friuola diuortia illa Christi verba restringuntur, erit iste sensus planē absurdissimus. Qui præter fornicationis causam*

^a Quicumque dimiserit.

^b Omnis qui dimiserit.

causam (quæ iusta est) dimissam à viro vxorem duxerit, mœchatur. Puta si ex rixa aut alia quacunque causa vxor dimissa fuerit. Sed si ex fornicationis causa dimissam duxerit, nõ mœchatur. Iuxta hunc ergo sensum meliori loco erit vxor adultera ex causa fornicationis à viro dimissa, quàm vxor proba & casta absque fornicationis causa à viro dimissa. Hanc enim ducere nemini licebit, illam licebit: & hæc aut manere innupta cogitur, aut viro reconciliari: altera novas nuptias adire poterit, nec de reconciliatione cogitare opus habet. Quæ omnia absurdissima sunt. Confirmat tamen sententiam suam ex Paulo quæ de friuolis istis diuortijs dixisse vult, *dimissam à viro aut manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Sed Pauli verbis turpiter abutitur. Clarum enim est, Paulum non de friuolis sed de iustis diuortijs hoc dixisse. Ait enim. *Iis qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam*. Atqui Dominus in Euangelio quando præcipit vxorem à viro non discedere, præcipit sine iusta causa non discedere, scilicet sine causa fornicationis. Ergo quod subiungitur, *quòd si discesserit, manere innuptam*, intelligendum est, si discesserit etiam ex iusta diuortij causa. Nam vt Christus non permittit vxori omne à viro diuortium, sed tantum ex iusta fornicationis causa; sic discedentem iubet manere innuptam Paulus, non ex qualibet rixa aut friuola causa discedentem, sed ex ipsa iusta fornicationis causa discedentem. Deinde vxori à viro discedenti ex iniusta aut friuola aliqua causa, non dedisset Paulus optionem, vt aut maneret innupta, aut viro suo reconciliaretur, sed simpliciter iuberet eam viro suo recõciliari. Hoc enim illi necessa-

1. Cor. 7.

rio faciendum fuit, quum sua sola culpa & re-
meritate maritum reliquerit. Sed quia de vxore
à viro discedente etiam ex iusta causa Paulus dis-
feruit, propterea ponit illi optionem, vt aut viro
suo reconciliaretur & peccato viri sui indulgeat,
aut, si hoc nolit, sciat se innuptam manere oportere :
idque propter vinculum coniugale adhuc manens .
Sapienter igitur S. August. hæc Pauli verba sic intellexit vt diceret. *Non præcepisset Apostolus, si à viro discesserit, innuptam manere mulierem, nisi cum cui discedere licuisset; illa vna videl. causa quæ ibi propterea tacita est quia notissima est, hoc est, fornicationis.* Hæc ille.

De adul-
ter. con-
iug. lib. 1.
cap. 5.

Erroris
circa no-
uas nu-
ptias post
diuortia
causa.
Matth. 5.

Sed hujc Caluini & aliorum hæreticorum ca-
uillationi occasionem dederunt alia Christi ver-
ba : *Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mæchari.* Existimant enim docere quidem eo loco Christum, eos qui dimissa vxore præter causam fornicationis aliam ducunt, mæchari; sed qui propter fornicationem dimissa vxore aliam ducunt, non mæchari. Quum enim dicat Christus omnem qui dimiserit vxorem præter fornicationis causam, facere vt dimissa mæchetur, sup. si alteri nubat : prorsus innuere videtur, omnem qui dimiserit vxorem propter fornicationem, non facere vt dimissa mæchetur si alteri nubat: & consequenter nec virum mæchari si ex tali causa dimissa vxore alteram ducat. Alioqui hanc vnam causam nõ interposuisset, sed generaliter dixisset, quod quicumque ex quacunque causa dimittit vxorem, facit eam mæchari si alteri eo viuente nubat. Hæc ille. Sed respondet S. Augustinus duo: Primum, *Christum hoc quod maius est commemorare voluisse.* Maius quippe & absurdius peccatum est, repudiatam vxorem ducere quæ præter fornicationis causam dimissa est, quàm eam quæ propter forni-

fornicationem dimissa est, quum hæc iusta & vnica nunc causa repudij sit. Sed non quia illud maius peccatum, propterea hoc nullum aut paruum peccatum est. Sic alia Scriptura dicit. *Scienti* **Jacob. 4.**

bonum facere & non facienti, peccatum est illi. Nectamen excusantur omnes qui ignorantes peccant, quum ignorantia iuris neminem excuset. Secundò respondet *Matthæum sic Christi verba retulisse, vt à parte totum significare voluerit: videlicet nō quosdam qui vxores dimittunt, & alias ducunt, mæchari, quosdam non, sed planè omnes tales mæchari, vt particula illa, præter fornicationis causam, ad dimittendi vxores prohibitionem referatur* (qui erat Christi scopus hoc loco) non autem ad rationem mæchie quæ inde cōsequitur ex secundis nuptijs.

Quare Christi verba plenius apud Marcum & Lucam leguntur, vbi generaliter Christus dicit:

Quicumque dimiserit vxorem suam, & alteram duxerit, adulterium committit super eam: & si vxor dimiserit virum suum, & alij nupsierit, mæchatur. Ibi quippe Christus non explicat aut corrigit legem veterem de libello repudij, sicuti hîc in hoc sermone facit, sed tractat in genere causam vinculi matrimonialis.

**Mat. 10. &
Luc. 16.**

Lege Augustinū de adulterinis coniugijs lib. 1. cap. 9. 10. 11. & 12. Sed Pauli mentem ex Marco elicere vult Calvinus, quia ibi nominatim exprimitur vxor quæ à marito discesserit. Ait enim Marcus. *Et si vxor dimiserit virum suum, & alij nupsierit, mæchatur.* In his verbis existimat Calvinus reprehendi à Domino quòd post voluntaria diuortia, vtrinque ad nouum coniugiū transibant Iudæi, in exteros iam mores prolapsi. Cui respondendum, apud Marcum quidem & Lucam secundas nuptias post quæcunque diuortia seu voluntaria & friuola, seu iusta & legitima, vt fornicationis

tionis causa, à Christo prohiberi, vt supra ex Augustino accepimus: idque tam ex parte viri respectu vxoris, quam ex parte vxoris respectu viri: nec vllomodo verisimile esse quòd apud Iudæos Christi tempore vxores viros dimiserunt, quum hoc lex non permetteret. Sed quum Paulus de illo vxoris à viro diuortio disputat quod Christus prohibuit, debet necessariò illud intelligi secundum totam prohibitionem à Christo factam. Prohibet autem Christus vxorem à viro discedente alteri nubere, sicut prohibet virum qui vxorem dimiserit alteram ducere, Pares enim illos hac in causa esse, verba Marci ostendunt, & Paulus postea manifestius docuit, dicens. *Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Atqui virum qui vxorem dimiserit etiam fornicationis causa, aliam sine mæchia ducere non posse, apud Matthæum Christus docet. Omnes igitur post diuortia secundas nuptias Christus damnat, seu voluntaria sint illa diuortia seu iusta. Alioquin enim hic esset sensus planè absurdissimus, vt iam in præcedentibus explicatum est.

1. Cor. 7.

II. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datū est.*

Caluini
& Beza
stupiditas.

CÆLIBATVS votum ac firmum propositum his verbis à Christo damnari heretici hodie volunt. Sic in hunc locum Beza. *Docet Christus continentie donum rarum esse Spiritus S. donum: ex quo consequitur non temere modo sed etiam contra Dei voluntatem facere qui perpetuum celibatum volunt.* Hæc ille in Annotationibus in hunc locum, Calvinus quoque ad hæc verba. *Non esse omnibus liberam eligere vtrum libuerit, continentiam an coniugium, inde probat Christus, quia speciale sit continentie donum.*

Hæc